



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XXV. De Exceptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)



TITVLVS XXV.

De Exceptionibus.

Probatâ actoris intentione reus condemnatur, nisi aliqua exceptione se tueatur. Unde à Probationibus, quibus actor, intentionem suam firmandô, reum oppugnat, transimus ad Exceptiones, quibus probatis reus actoris intentionem elidit.

ARTICVLVS I.

De Natura, Varietate & Origine Exceptionis.

SUMMARIUM.

1. Exceptio strictè exclusio Actionis:
2. Latè sumpta quacunque adversus Actorem defensio est:
3. Qua replicatione, & hac duplicatione Sc. eliditur.
4. Dividitur exceptio in Propriam & Impropriam:
5. Realem & Personalem:
6. Dilatoriam & Peremptoriam:
7. Et in Civilem ac Pratoriam.
8. Exceptio in genere, & in specie quædam ex Naturali:
9. Alia ex Civili Jure descendunt.
10. Lege vel rescripto tolli omnes non possunt.

Exceptionis nomen à dictione Ex & verbo Capere, quasi ab actione aliquid capiat seu tollat, deriva-

tum, bifariam, latè & strictè, sumitur. Strictè & in specie sumptum denotat exclusionem ipsius Actionis, l. Exceptio, pr. ff. hic, sive defensionem, quâ reus actionem contra se propositam, & de Jure subsistentem, excludit seu elidit, ostendendô, eam ob certas circumstantias hic & nunc efficacem non esse; quòd v.g. reus eâ conventus gravi & injusto metu dolôve ad contrahendum inductus, debitum jam solutum, vel per acceptilationem extinctum, vel actor, se id non petiturum, juraverit, pr. §. 1. Instit. hac Rubric. Quòd sensu Actio, sive generalis actoris intentio se habet instar Regula, quæ patitur exceptiones, eam restringentes, ut in uno vel pluribus casibus, sicut v.g. Regula de eo, quod inter contrahentes conventum est, præstandô, casu, quò contractus vi metive aut dolô extortus est, &c. non procedat, ut acutè notant in Treutl. Bachovius & Hunnius Vol. 2. disp. 26. Thef. 1. pr. Latè & generatim acceptum Exceptionis nomen significat quacunque defensionem, l. Defensiones I I. C. hic, sive responsionem, quâ se reus ab intentione actoris conatur expedire, v.g. ei opponendô, actionem nunquam ortam: eam, quæ orta est, jam sublatam, vel elidi posse: actorem eive accessorium personam, aut ipsum etiam judicem, tanquam incompetentem, removendô, Hostiens. in Summa & Panormit. in Rubric. præsentem uterque n. 1.

Sicut

3. Sicut Actionem Exceptio, ita hanc elidit Replicatio, l. Exceptio cit. §. 1. quæ etiam ipsa, sed à reo auctori objectæ exceptioni contraria, & quasi exceptionis exceptio est, l. Exceptio 22. §. 1. ff. hic: ad quam auctoris exceptionem sive replicationem, si iusta aut efficax esse non videatur, elidendam à reo ipsi opponitur Duplicatio: quæ etiam ipsa per Triplicationem ab auctore, & hæc per Quadruplicationem à reo, atque ista rursum per aliam aliamve replicationem, seu novam exceptionem oppugnari solet, cit. l. Exceptio 2. §. 3. & §. Rursus 1. Instit. de Replicat. donec, quæ contra adversarium se tueatur, novam exceptionem non habeat: vel, ne processus nimium & in infinitum extrahatur, de earum modo & certo numero per compromissum conveniatur inter partes, vel allegationibus terminus ex officio statuatur à iudice, Auth. Jubemus C. de Judiciis, pro qualitate causæ plures vel pauciores admittente, Harprecht in §. Rursus cit. n. 4. Manzius in §. Quarum 3. Instit. de Replie. n. 2. & Pirrhing ad hanc Rubric, n. 3.

Late & generatim acceptæ Exceptionis partitiones complures: celebriores verò &, vel ad ejus naturæ declarationem, vel ad Fori contentiosi praxin, utiliores sunt, quibus

4. Primò, alia Propria, alia Improperia vocatur. Propria, sive, ut etiam nuncupatur, Juris exceptio est, quæ actionem seu potius istius, de rigore Juris competentis, sed infirmæ, effectum excludit: cujusmodi v.g. est, quæ Titius, ad ædium vel prædii venditionem metu adactus, vel dolò inductus à Cajo, istius ex empto, ad ædium vel prædii traditionem, quod de rigore Juris potest, agentis intentionem metùs vel dolò mali exceptione elidit; quòd æquitati naturali adversetur, quempiam ad implendum contractum, ab ad-

versario per injuriam extortum, compelli. Improperia sive facti exceptio est, quæ auctoris intentio solum sive actio, quæ nunquam orta, vel jam sublata est; ac proinde nunquam, vel jam non competit, de facto tamen intentata excluditur: cujusmodi v.g. est, quæ idem Titius laicum, ad ædium vel prædii nunquam venditorum traditionem ex empto agentem, pecuniam nunquam creditam, aut, si credita est, jam solutam condicentem, aut fundum jam præscriptum repetentem repellit. Ita Panormit. ad hanc Rubric. n. 2. Covarruvias in Reg. Possessor p. 1. pr. n. 4. propriam actionis, impropria verò, intentionis exceptionem nuncupantes, Perez in C. ad hanc Rubric. n. 3. & Bruneman, in l. Exceptio cit. n. 2.

5. Secundò, alia Realis & alia Personalis, l. Exceptiones 7. ff. hic: quæ illa rei sive causæ cohæret, eamque sequitur; & propterea non solum debitori, sed etiam aliis, puta hæredibus & fidejussoribus prodest: cujusmodi sunt exceptio dolò mali, metùs, pacti conventi de non petendo, rei judicatæ, jurisjurandi, S. C. Macedoniani ac Velleiani & similes, l. cit. §. 1. & §. Exceptiones 4. Instit. de Replicat. ista verò concessa est intuitu personæ, quacum extinguitur, & ferè hæredibus dari non solet: multò minus fidejussoribus, ut est exceptio competentia; ut, qui ista gaudet, in id tantum condemnatur, quod facere potest, ne egeat, cit. Perez n. 22. & Zæsius in ff. hic n. 19. Haunold, Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 334. & cit. Pirrhing n. 2. V. Secundò.

6. Tertio, & præcipue, alia Temporalis & Dilatoria, alia Perpetua & Peremptoria est, l. Exceptio 2. §. fin. l. Exceptiones 3. ff. & §. Appellatur 8. & seqq. Instit. hic. secundum quos textus Temporalis, sive dilatoria, ad tempus duntaxat nocet, actionem non tollendo, sed so-

Immodo suspendendò & temporis dilationem tribuendò. Cujusmodi exceptiones concernunt seu respiciunt aliquando personam ipsius iudicis; quòd propter cognationem, affinitatem, aut aliam necessitudinem, quâ actorem contingit, suspectus, Juris imperitus, incompetens seu carens jurisdictione, aut istius omnino incapax sit, aut ab alio iudice per citationem jam præventus: aliquando personam litigantis principalis; quòd v.g. actor sit pupillus, servus, excommunicatus, vel ex alia causa stare in iudicio non possit, vel rei sit spoliator &c. aliquando personam principali accessoriam, v.g. Procuratoris; quòd talis esse non possit, vel nullò, aut non sufficienti mandato sit instructus: aliquando locum vel tempus iudicii; quòd ille propter infidias, bellum, pestem, vel aliud contagium non tutus, aut honestus: istud feriatum, vel terminus nimis angustus ac brevis sit: aliquando ipsâ causâ, juxta exceptio inepti vel obscuri libelli, litis pendentia, plus petitionis, ne causâ continentia dividatur, quòd solutionis dies nondû advenerit, Maranta de Ord. Judic. p. 6. membr. 9. n. 13. & 6. cit. Haunold. n. 1263. & Pirthing n. 2. Perpetua & Peremptoria exceptiones sunt, quæ tollunt ius actoris, & actionem perimunt atque elidunt: quæ triplicis generis sunt; earum enim quædam actionem nunquam competitivis & ortam, v.g. non legatum, non donatum, non contractum &c. alia actionem, quæ competeat, amplius non competere, sed extinguitam, ut rei iudicata, transactio, jurisiurandi, compromissi, solutionis, pacti de non petendo, legitima præscriptionis & similes, quæ litis finitæ exceptiones nuncupantur: alia actionem, sive ius agendi, quod competit, elidi & perimi posse; ac proinde illam inefficacem esse, ostendunt: cuiusmodi sunt exceptio-

nes doli mali, metûs, erroris & similes, DD. cit.

Quartò, alia Civilis, alia Prætoris, §. 7. Quarum 7. Instit. hic: quarum exceptionum illa ex Jure Civili descendit, ut v.g. fori declinatoria, S. C. Velleiani & Macedoniani & similes: ista à Prætoribus, ob rem naturalem est introducta: ut exceptiones metûs, doli mali, pacti conventi de non petendo &c.

Dubium hic & prolixæ altercationis controversia inter DD. est de Jure, ex quo exceptiones descendunt; eas enim à Naturali descendere ad hanc Rubricam docent Panormit. n. 3. Felinus n. 4. Welenb. in ff. n. 8. & Harprecht pr. Instit. n. 11. quòd sint defensiones, l. Si quis 5. ff. l. Defensiones 11. C. hic & pr. cit. ubi imp. eas comparatas, ait, defendendorum eorum gratiâ, cum quibus agitur: defensiones autem competant Jure Naturali, l. Scientiam 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 37. ff. de Vi armata, & Clement. Papst. ralis 2. §. Cæterum, (de Sent. & re judic. quòd solò distant Protoparentes nostris super vetiti fructûs comestione à Deo conventi, exceptionis ope se tueri conati sunt, Adam in locum mulierem, ista in serpentis deceptionem culpam coniciendò, Genes. cap. 3. v. 12. & 13. Contra, eas Civili Jure introductas, contendunt Faber Jurisprud. Tit. 2. princip. §. illat. 5. Corrasius Lib. 6. Miscell. cap. 16. n. 10. & Hunnius cit. disp. 26. q. 3. §. Perim. cum; quòd exceptio sit exclusio actionis, quam supponit, l. Exceptio 2. pr. cit. Actiones autem à Civili Jure originem ducant, l. Necessarium 2. §. 6. ff. de Origine Juris, l. Actionum 25. §. fin. ff. de O. & A. §. Sed ista 3. Instit. de Action. tum verò: quòd exceptio tolli queat lege & rescripto Principis, c. Ex parte 13. de Offic. de leg. l. Si quis 3. §. 3. ff. Quod quisque jur. in alt. & l. Exemplo 26. C. de Decurion. quibus

quibus tolli nequebunt ea, quæ sunt Juris Naturalis, arg. §. *Sed naturalia* 11. *Instit. de J. N. G. & C. §. 1. Eas obligationes* 8. ff. *de Capite minut.*

In hoc DD. dissidio utrique parti aliquid tribuendum, & dubitatio resolvenda est beneficii distinctionis: quæ exceptiones in genere, & in specie etiam eæ, quæ ad innocentiam & justæ causæ defensionem competunt, cessante omni legis humanæ dispositione, ut, quæ homicidii convictus, violentum aggressorem ob necessariam defensionem occisum, aut ad rei traditionem conventus, eam suam & petenti non debitam &c. exciperet, saltem quoad substantiam Naturalis; eæ verò, quæ, legis aut canonis dispositione cessante, non competere, ut præscriptionis, rei judicatæ, competentiam, S. C. Velleiani ac Macedoniani, excommunicationis & similes exceptiones quoad substantiam: cæteræ verò exceptiones saltem quoad opponendi modum, ordinem &c. Civiles aut Ecclesiastici Juris esse statuuntur.

Neque omnes, etiam quoad substantiam, à Civili Jure ortas, evincunt allatæ rationes. Prima; quia neque actiones omnes ex Civili, sed quædam ex Naturali æquitate: neque exceptiones omnes ex eadem, ex qua actiones, sed pleræque, prima origine inspecta, ex naturali æquitate descendunt adeò; ut inter actiones & exceptiones plerumque sit conflictus, agnitus ab ipso Imp. & pr. *Instit. hic declaratus verbis, Sæpe accidit, ut licet ipsa persecutio, qua actor experitur, justa, hoc est, æquitati Civili consentanea, sit: tamen iniqua sit, hoc est, naturali æquitate spectata, non congruat, adversus eum, cum quo agitur. Quæ causa est, cur exceptiones pleræque Prætorie, hoc est, reo datæ sint à Prætoribus, æquitatem naturalem præcipuè attenden-*

te, l. 1. ff. de Pañis §. 1. ff. de Constit. Princip. Harprecht in pr. cit. n. 12. Altera etiam ratio id non evincit; quia ex Jure naturali competentes, & ad sui defensionem determinatè necessarias exceptiones tollere Princeps, neque lege, neque rescripto potest, Gaill. de Pace publ. cap. 12. n. 21. & cit. Harprecht n. 18.

ARTICULUS II.

De Exceptionum Oppositione.

SUMMARIUM.

1. Exceptiones Dilatoria ante litis contestationem,
 2. Et intra terminum præfixum opponi & probari debent,
 3. Præsertim fori declinatoria:
 4. Et alia, causa merita non attingentes.
 5. Post eam opponi possunt, si antè protestata,
 6. Aut postea orta, vel cognita sunt,
 7. Vel antè opponi non potuerunt:
 8. Vel processum retro nullum reddant:
 9. Excommunicationis exceptio obijci semper potest,
 10. Etiam à reo excommunicato:
 11. Licet huic ab actore excommunicato nequeat opponi.
 12. Aliquando de beneficiorum pluralitate excipit, qui plura habet.
 13. Exceptioni dilatoria in prima instantia omissa locus in secunda non est.
 14. Nonnulli casibus exceptio.
 15. Peremptorie post litis contestationem opponuntur,
 16. Si earum veritas notoria sit,
 17. Aut ad litem impediendam tendant, etiam ante eam:
- L l i 3. 28. Qua-

28. *Quadam etiam post sententiam opponi possunt.*
 29. *Reus uti potest exceptionibus pluribus,*
 30. *Et aliquando contrariis.*

11. **E**xceptiones, ut profint, ab iis, quibus competunt, in iudicio, & non quocunque, neque eodem omnes tempore, allegandæ sunt & probandæ.

Dilatoria enim pleræque regulariter ante litem contestationem, c. *Inter monasterium* 20. de *Sent. & re iudic. § l. fin. C. hic*, & intra certum terminum, à iudice præfigendum, proponendæ & probandæ sunt, c. *Pastoralis* 4.

12. Ratio prioris est; quòd huiusmodi exceptiones pleræque impediunt litem ingressum, & respiciant ea, quæ iudicium constituunt, scilicet personas, locum, tempus: contra quæ in principio non excipiens, in ea consentire, & excipiendi iuri renuntiare censetur, *Zoesius in ff. & Perez in C. hic*, uterque n. 5. Posterioris ratio est; ut ampuentur lites: quæ, si exceptionum allegationi & probationi terminus non præfigeretur, litigantium, aliàs aliàsque sint modo opponentium, earumque probationes extrahentium malitiâ sæpe nimium protraherentur, contra Regulam c. *Finem* 5. de *Dolo & l. Properandum* 13. pr. C. de *Judicis*, *Vivianus in c. Pastoralis cit. pr. & Perez cit. n. 5.*

13. Præ aliis autem exceptionibus dilatoriis opponenda est declinatoria Fori; quia concernit personam ipsius iudicis: quem qui ad aliquem actum approbat, eius iurisdictionem in se prorogasse præsumitur; ut eum recusare amplius non valeat, *Panormit. in c. Exceptionem* 12. n. 15. *Bartolus in l. Exceptionem* 19. C. de *Probat. n. 7.* & *Gaill. Lib. 1. observat. 23. n. 11.* Quod si eius iurisdictione pro-

rogari nequeat, processus ex iurisdictionis defectu nullus erit, *Haunold. Tom. 1. tract. 3. n. 265.*

Neque huic de dilatoriis exceptionibus plerisque, ante litem contestationem non solum opponendis, sed & probandis, doctrinæ obstat *l. cit. tenor*, & exceptionem dilatoriam opponi quidem in iudicio, probari verò, postquam actor monstraverit, quod asseverat, oportet. Non, inquam, ut maximè videri possit, obstat partim; quia, ut *Bruneman. ibi num. 3. Donell. Comment. ad l. Præscriptorem §. C. hic, num. 9.* probè advertunt, omnino verisimile est, textum hunc Amanuentium describentium errore corruptum, & vocem *Pertemporiam* substituendam; quòd alias aperte pugnaret cum aliis Juris textibus, Dilatoriarum probationem ante litem contestationem regulariter exigentibus: & cum huiusmodi exceptionum naturam ipsaque etymologia; cum dilatoria dicantur, quòd iudicium differant, §. *Temporalis* 10. *Instit. hęc Rubr. iudicium autem non differrent, si intentio sua ante ad actorem, quàm opposita huiusmodi exceptio à reo probanda esset, Zanger de Except. p. 3. cap. 26. n. 45. Harprecht in §. cit. n. 17. & Haunold. cit. Tract. 3. n. 291.* partim verò; quia, si interpretatio ista displiceat, & correctionis vitandæ studiò non admittatur, *l. cit. intelligi potest, de exceptione dilatoria non probationem, sed causæ merita concernente, v. g. quæ actori, centum aureorum debitum exigenti, reus eos non deberi; & si deberentur, propter pactum, post nundinas primùm deberi, excipit; huius enim pacti initio oppositi probatio, donec actor debitum probaverit, differri potest, cit. Zanger n. 46. Perez in C. hic. n. 7. & 46. Bruneman in l. cit. n. 9. & Haunold. n. 292. & Witenbach, in l. Exceptionem cit.*

Dictum

15. Dicitur autem est primò, exceptiones dilatorias ante litem contestationem opponendas & probandas *Regulariter*, propter textum *c. Pastoralis cit.* tribus casibus eas postea opponi permittentis. Primò quidem, si fuerint protestata: hoc est, si reus earum nominatim & in specie expressarum probationem ex iusta causa sibi reservarit, *Glossa V. Protestata & ibi Panormit. n. 4.* Secundò, si eiusmodi exceptio de novo emerferit, *vg. si iudex, propter inimicitiam cum reo, vel propter affinitatem, aut aliam necessitudinem cum actore contractam, post iudicium jam constitutum cæperit esse suspectus, vel reus postea fuerit spoliatus; nam, quæ de novo emergunt, novò indigent auxiliò, l. De etate 11. §. 8. ff. de Interrog. fac. Glossa in c. cit. V. De novo.*
16. Tertiò, si exceptionem, quæ priùs competeat, post iudicium jam cæptum ad suam notitiam pervenisse, nec se inquirendo antea fuisse negligentem, reus firmaverit iuramentò, *cit. Glossa V. Postmodum, & Panormit. n. 23.* Cui casuum ternario idem Panormit. n. 4. addit quartum, si idem juraverit, exceptionem antea non potuisse probari; *arg. c. Ut circa 4. ibi, Nisi super antiquis supervenerit probandi facultas, de Elect. in 6.* paria enim reputantur, exceptionem non competere, & non posse probari, Panormit. *in c. Pastoralis cit. n. 3.* Alii quintum apud Barbofam *in c. cit. n. 11.* Nisi exceptio, antea omissa, statim & in continenti post litem contestatam aut lapsum terminum opponatur; quia, quæ in continenti fiunt, inesse censentur, *l. Licta 40. V. Dicebam, ff. de Reb. credit.*
18. Dicitur secundò est, Pleraque; quia post litem contestatam opponi possunt Exceptiones dilatoriæ Primò, quæ processum retro nullum reddunt: ut sunt exceptio Falsi procuratoris, sive, quòd man-

datum non habeat: vel, quod habet insufficienti, revocatum, aut datum sit ab eo, qui procuratorem dare non potest, *l. Licet 42. C. de Procurat. Bruneman. in l. Qui procuratorem, 57. ff. eadem Rubr. n. 2.* Falsi tutoris, *arg. Rubric. & text. l. Et. ff. Quod falso tutor. Bruneman. ibid. n. 6.* Incompetentis iudicis, *arg. l. Si militaris 2. C. Si à non compet. non cujuscunque, sed ejus, cujus iurisdictione prorogari non potest, vg. Secularis respectu clerici; cum iste in illum nequeat consentire, c. Si diligenti 12. de Foro compet. Panormit. l. cit. n. 16. Gonzalez in c. Exceptionem cit. n. 5. in fine, & est. Bruneman. n. 5.* Secundò, si exceptio habeat gravamen successivum, ut exceptio loci non tuti: quam quòdocunque, etiam post litem contestatam, opponi posse, *arg. l. De etate cit. cum Alexand. ibi tradunt Felinus in c. Accedens 4. Ut lite non contest. n. 16. & Hunnius Vol. 3. post disp. 26. q. 22. V. Idem.* Tertiò, exceptio excommunicationis majoris: quam in quacunque iudicii parte opponi posse, *c. Exceptionem cit. c. 1. in 6. & Clement. Unica habetur.* Ratio est partim; quòd reo semper liceat vitare excommunicationem: imò, si iste notorius clericus percussor, aut denunciatus sit, communionem cum eo fugere debeat; ne excommunicationem, saltem minorem, ipse quoque incurrat, *c. Cum non ab homine 14. de Sent. Excom. partim verò; quia excommunicatio iudicis omnia acta & processum retro nullum reddit, ut arg. c. Ad probandum 24. de Sent. & re iudic. dictum est Tit. 1. n. 27.* Unde

Dubium oritur, an exceptio excommunicationis opponi valeat à reo, etiam excommunicato. Certum est, huic permissas exceptiones alias, *c. Cum inter 5.* quia exceptio ab agendo repellit, habetque rationem defensionis, **excommuni-**
cato cui-

cato cuicumque permiffa, Gloffa in *c. Intelleximus* 7. V. *Conueniri*, de *Judiciis*.

Non permiffam autem ipsi exceptionem excommunicationis, & hanc oppofitâ auctorem ab agendo non repelli, delumi videtur partim ex decifione Innocentii III. *c. A nobis* 2. relati, & excommunicationis exceptionem reo permittentis ex ratione; quod ipfe folum minori, auctor vero majori ex communicatione fit ligatus. Unde à contrario inferitur, eam exceptionem reo non permiffam casu, quò majoris vinculo etiam ipse ligatus eſſet: partim ex *c. Cum Eccleſiaſtica* 3. ubi plura beneficia obtinenti exceptio pluralitatis beneficiorum negatur: eamque negandam diſtat æquitas; cum iniquum omnino fit, ut quis in alio reprobet, quod in fe ipſo tolerandò probat, *can. Judices*, 3. q. 7. & *can. 1. & ſeqq.* 32. q. 6.

20. Sed, ſicut cæteras, ſic excommunicationis quoque exceptionem excommunicato permiffam, Interpp. in *c. A nobis cit.* & *c. Dilecti* 8. aliorumque DD. communis ſenſus & ratio eſt; quia Regulæ generales ſunt; quòd auctor excommunicatus ab agendo valeat, & ſi vitandus fit, debeat repelli, *c. Intelleximus c. Exceptionem cit.* & *c. Decernimus* 8. de *Sent. Excom. in 6.* & quòd omnis legitima deſenſio reo, etiam excommunicato, in iudicio reſeruetur, *c. Significavit* 11. à quibus Jure exceptus non eſt caſus, quòd reus excommunicatus ſe contra auctorem defendit, opponendò ei exceptionem excommunicationis.

21. Neque refert; quòd *c. A nobis cit.* replicatio excommunicationis non permittatur auctori; quia auctoris replicatio, cum per eam inſtitutam actionem proſequatur, oppugnationis: rei autem exceptio, deſenſionis rationem habet, *c. 1. in 6.* excommunicato autem actionis proſectio & oppugnatione difficilius, quàm de-

ſenſio reo permittitur, *c. Intelleximus c. Significavit cit.* cum iſte illò favorabilior fit, l. 125. ff. de R. J. Panormit. in *c. A nobis cit. n. 8.* ubi Laiman, n. 2. & Gonzalez à n. 6.

Neque obſtat arg. à contrario deſumptum; quia vim non habet, quando eò illati contrarium Jure eſt expreſſum, ut ex *c. A nobis cit.* illati contrarium, *c. Significavit cit.* & c. Panormit. *ibid. n. 4.* Feiin. n. 2. & Menoch. *Lib. 3. præſumpt. 93. num. 5.*

Neque etiam paritas cum exceptione pluralitatis beneficiorum, non admiffa, *c. Cum Eccleſiaſtica cit.* cum; quia exceptio iſta oppoſita fuit ab auctore, ſcilicet canonicis oppugnantibus, alteri factam à canonicis collationem: non à reo, deſenſionis neceſſitate auctorem repellente: tum verò; quia, ſicut à canonicis reis oppoſita fuiſſet, admittenda tamen non fuit propter naturam iudicii, in *c. cit.* caſu inſtituti, ſcilicet Poſſeſſorij retinendæ; cum enim crimina, in modum exceptionis obiecta, ad aliquem à poſſeſſione deiiciendum non ſufficiant, arg. *c. Cum dilectus* 2. de *Ord. cognit.* pluralitatis exceptio merito rejecta fuit, *c. Cum Eccleſiaſtica cit.* admittenda, ſi Adipiſcendæ poſſeſſorij fuiſſet intentatum, *c. Cum aded* 17. de *Reſcript.* Neque aliud erimicit ejus exceptionis non admittendæ ratio; quòd de pluralitate excipere nequeat, quia plura beneficia etiam ipſe habet; quia hæc ad confundendam canonicorum malitiam, non ad cauſam decifionis finali exprimendam, adjecta fuit, ut non obſcurè colligitur ex dictione *Præſertim*, quæ verbis *Cum exceptionem præmittitur in c. cit.* integræ lectione, à Gonzalez relatâ, & exceptionem etiam non admittendam, inſinuante, quantumvis canonici plura beneficia non obtinerent, arg. *c. Veniens* 19. de *Præſcript.* ut *ibi* notat Panorm. n. 2. & Gonzalez in *c. Cum*

e. Cùm Ecclesiastica cit. n. 5. quia dictio *Præsertim* casum minus dubium ita exprimit, ut magis dubium includat, *l. fin. ff. de Lib. exhib. ubi Glossa, V. Præsertim, & Menoch. de Arbitr. casu 416. n. 19.*

23. Dubium etiam de cæteris exceptionibus dilatoriis est, an in prima instantia omiffæ, opponi valeant in secunda. Quod suadere videtur, *l. Per banc divinam 4. C. de Temp. appell.* ex qua Regulæ instar tradi solet, in secunda instantia allegari & deduci posse omnia, quæ allegata & deducta non sunt in prima. Neque id sine ratione; quia causâ appellationis fortitur naturam causæ principalis, *l. 1. in fine. ff. An per alium. caus. appell.* in qua omnes exceptiones dilatoriæ opponi ante litem contestatam possunt, per *textus cit.* Sed non persuadet; cùm, eas in secunda instantia opponi regulariter non posse, evincat, *l. Ita demum 13. C. de Procurat.* ubi admiffa non est militi in secunda instantia objecta exceptio inhabilitatis ad munus procuratoris, quæ in prima fuit prætermiffa. Ratio est; quòd exceptionem dilatoriam, quâ iudicis, actoris, vel procuratoris personæ removeri possunt, in prima instantia non opponens, eas approbasse, & contra eas opponendi juri tacite renuntiasse, censetur. Cui non obstat; quòd procuratoriæ exceptiones semper opponi queant, *l. Licet cit.* quia lege ista agitur de exceptionibus, quæ defectum aut insufficientiam mandati, non quæ personæ inhabilitatem, concernunt, juxta dicta & notata à Brunemano. *in l. Ita demum cit. n. 5.*

Regula, in contrarium allata, vera quidem: at de iis solum exceptionibus exaudienda est, quas allegandi tempus in prima instantia lapsum non est: dilatorias autem opponendi tempus lapsum est per litem contestationem, quæ in secunda instantia de Jure necessaria non est; cùm

ad hanc porrigatur, quæ facta est in prima, *c. Per tuas 58. de Appellat. & l. fin. §. 4. C. de Temp. appell.* Caldas in *l. Sæ Curatorem 3. C. de In Integ. restit. V. Per quod præst. jus recup. à n. 42.* Harprecht in *§. cit. à n. 24.* & Haunold. *Tract. cit. à num. 293.*

Dixi tamen, Regulariter, propter 24 casus, quibus exceptiones dilatorias post litem contestatam opponi posse, jam est dictum, iis enim casibus omnibus eas opponi in secunda instantia posse, advertit idem Haunold. *num. 294.* Hactenus de exceptionibus dilatoriis.

Peremptoriarum, licet pleræque 25. post, earum tamen quædam etiam ante litem contestatam: imò aliquæ post sententiam jam latam opponi possunt. Quæ, nam autem, planum distinctio reddet.

Et primò quidem eas, quæ jus & actionem ortam, & actori competentem elidi aut reprimi posse ostendunt, regulariter post litem contestationem & ante sententiam definitivam opponendas & probandas, satis convenit inter DD. & desumitur ex *c. 1. & c. fin. de Litis contest.* in *6. l. Cùm nondum 4. C. hic & l. Peremptorias 2. C. Sent. rescindi posse.* Ratio est; quia hujusmodi exceptiones propriè sunt exclusio actionis, *l. Exceptio 2. ff. hic:* excludi autem & perimi actio non potest, antequam proposita sit in judicio: quod constituitur per litem contestationem, Maranta *cit. memb. 9. n. 17.* & Perez in *C. hic, n. 10.*

Secundò, exceptiones peremptorias, 26. quarum veritas notoria est, ut actorem calumniari, palam & indubitatè constat, ante litem contestationem objici: earumque objectione hanc impediri, pariter sine controversia & meritò receptum est; ne reus laboribus & impensis frustra fatigaretur, *cit. Perez n. 11, & Haunold. num. 311.*

Mm m

Tertiò

27. Tertio, ante eandem litem contestationem opponi possunt exceptiones peremptoriae, quae impediunt litem ingressum: cujusmodi sunt, quibus nullam actionem ortam, nullumque jus auctori competere, reus ostendit: & quae dicuntur litem finita, c. 1. *Et. fin. cit.* quia praeter rem principalem etiam instantiam concernunt; cum ex una, reus eas opponens ullum jus & actionem auctori non competitivisse: vel jus, quod habebat, extinctum affirmet: & quia, quod semel extinctum est, amplius non reviviscit, l. *Quia res 9. §. 8. ff. de Solutionibus*, actionem, quam habebat, de praesenti ei competere, reus neget: ex altera vero parte, qui jus & actionem de praesenti non habet, convenire in iudicio seu litigare non possit, l. *Pupilli 6. §. 12. ff. de Negot. gest. Francus in c. 1. cit. n. 18. cit. Maranta n. 12. & Perez n. 11. ubi cum Bartolo in l. Cum querebatur 13. ff. Judicatum solvi n. 3. salubriter monent, huiusmodi exceptiones, ut ingressum & contestationem litem impediunt, confestim & incontinenti probandas: sicque in modum declinatoriae potius, quam peremptoriae exceptionis, ad causae processum impediendum magis, quam eius merita confutanda, proponendas. Si vero ita probari non possint, sed altiore indaginem requirant, iis, ante litem contestationem oppositis, hanc non impediri, easque ad ipsa causae merita reservandas, doctrina est, *cit. Bartoli n. 3. Marantae n. 14. & Hunnii q. 24. V. Caterum.**

28. Quarto, Nullitatis, & quibusdam aliis exceptionibus peremptoriae locus etiam est post sententiam definitivam; quantumvis enim ista gravatis ad appellationis remedium sit recurrendum, opponi tamen aliquando post eam latae, & latae in rem iudicatam transire possunt non solum Nullitatis, sed etiam quo-

que exceptiones, quibus non quidem sententiae iustitia oppugnetur, sed executio impediatur, *arg. l. 1. C. de Re iudicata, Gaill. Lib. 1. observat. 113. n. 5. cit. Maranta n. 18. & Perez n. 12.* Cuiusmodi, praeter eas, quae sententiam retro nullam reddunt, sunt exceptiones SCT. Macedoniani & Velleiani, filiofamilias mutuum pecuniam accipienti, & mulieri pro alio intercedenti, Competentiae clerico obarato, & nonnullis aliis, ne in plus executio fiat, quam retenta congrua sustentatione possunt, competentes: item exceptio cessionis bonorum, compensationis impenfarum factarum, in integrum restitutionis & similes, de quibus *cit. Harprecht n. 14. & Perez n. 12. & Zanger p. 3. cap. ult.*

Porro non una duntaxat, sed pluribus exceptionibus, simul & successivo, uti reo est permittum, l. *Is qui §. 1. Nemo 8. ff. hic*; cum nihil aliud sint, quam defensiones: pluribus autem defensionibus uti quis non prohibetur, l. *Is qui cit. & Reg. Nullus 20. in 6.* Sic enim post exceptionem iurisjurandi, ad rei iudicatam, post allegationem privilegii ad praescriptionis & alias similes exceptiones potest recurri: & excipiendò negans homicidium, si de isto convincatur, rursus excipiendò ad sui defensionem, servatò inculpatam tutelam moderamine, homicinem occisum, allegare potest, l. *Nemo 430. pr. ff. hic. cit. Perez n. 28. & Flau-nold. n. 322.*

Neque obstat; quòd, cum ejusdem rei nomine competunt actiones plures, una experiri auctor debeat, l. *Nemo cit. §. 1.* quia plus quam haec, reo permittum, ex *cit.* textibus indubitatum: eique plus permittendi ratio fuit; quòd auctor sponte & paratus ad iudicium veniat; cum, sicut litigare, ita, quae potissimum actione uti velit, deliberare & statuere possit: reus con-

reus contra in id trahatur & pulsetur in-
vitus atque imparatus; ut proinde mi-
sera & in causâ casum prona foret ejus
conditio, si non nisi unâ defensione uti
posset, cit. Perez n. 29.

29. Quin reus pluribus, non solum di-
versis, sed etiam contrariis exceptionibus
uti potest: non quidem absolute & copu-
lative, sed disjunctive, aut sub condi-
tione; sic enim Parocho super decimis
agenti opponere reus potest, privilegium
exemptionis: vel, si isto tutus non sit,
Canonicam prescriptionem, Sic, ad pecu-
niâ mutuatae restitutionem conventus,
eam non acceptam; vel, si accepta est,
eam jam solutam, vel remissam excipien-
do opponere potest: dummodo id bona
fide fiat, Dynus in Reg. Nullus cit. n. 6.

30. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 48. Cui
non advertatur Regula de eo, qui contra-
ria allegat, non audiendo, l. i. C. de
Furtis; quia actori positâ magis est, quam
reo: cui favore libertatis utroque Jure
indulgetur; ut quovis modo & quibus-
vis allegationibus, etiam contrariis, se
defendat; dummodo sibi non contradic-
cat, allegationum contrariarum utramque
veram esse asserendo, sicut contingeret,
si excipiendo, se privilegio & prescrip-
tione exemptum, solvisse & debitum
esse remissum, non occidisse & occidisse
ob necessariam sui defensionem, absolute
& copulative asseveraret, Dynus cit. n. 6.
& Perez cit. n. 28. Qua de re fermo re-
dit ad Reg. Nullus cit.

ARTICULUS III.

De Effectibus Exce- ptionis.

SUMMARIUM.

31. Exceptionem probare reus tenetur:
32. Non tamen in intentionem actoris,

33. Neque ipse replicando rei excep-
tionem sateri censetur:

34. Nisi confessio verbis clarè expressa,
35. Vel promissa sit exceptioni.

36. Exceptio probata actionem exclu-
dit,

37. Perpetuo vel saltem ad tempus:

38. Et fidejussori prodest, si Realis:

39. Non etiam, si Personalis sit,

40. Eâque fidejussor ex propria persona
se tucatur.

EXceptionis duo præcipue sunt Effec- 31.
tus Primus, quod reum faciat ac-
torem, l. i. ff. hic, quoad onus
probandi; cum, sicut actor inten-
tionem suam, ita exceptionem suam
probare teneatur reus, l. Si pactum 9.
l. In exceptionibus 19. pr. & §. 2. ff. de
Probat. Secus actori, intentionem suam
plenè probanti, succumbet & condem-
nabitur in expensis, Speculat. de Ex-
pens. §. 3. num. 4. & Pacianus de Probat.
Lib. 1. cap. 58. n. 2. & 9. Probanti, in-
quam; quia, auctore intentionem suam non
probante, reus ei contradicendo, etsi
aliud non præstiterit; ac proinde etiam
si ad actoris intentionem elidendam ex-
cipiendo nihil opposuerit, aut exceptio-
nem ei oppositam non probaverit, est
absolvendus, e. Fin. §. Sanè, de Jurejuran-
do & l. Si quidem 9. C. hic, Panormit. in c.
1. de Ord. Cognit. num. 10. Alexand. de
Nevo ad præsentem Rubric. n. 7. & Pa-
cianus cit. cap. 58. n. 57. Ubi

Celebre & in praxi utile dubium 32.
est, an reus excipiens censendus sit confi-
teri, quæ continentur in exceptione, vg.
an, centum ex mutuo debitos petenti, ex-
cipiendo opponens factam solutionem,
vel pactum de non petendo, censendus sit
debitum confiteri. Ratio dubitandi mi-
nimè levis est; quod, qui confitetur ali-
quid, confiteri censeatur, quæ ex eo neces-
sario sequuntur, arg. e. Transiatio 3. de
M m 2 Consist.

Constit. & Regulariter, qui vult consequens, velle censetur & antecedens, *arg. §. Idemque 2. Instit. Quibus ex caus. manumitt. Et l. Illud 76. ff. de Acquir. heredit.* Sic enim ab excommunicatione absolutionem petens, & per transactionem ab Episcopi jurisdictione se exemptum, excipiens, censurâ illâ se ligatum, aut Episcopali jurisdictioni aliquando subiectum fuisse, confiteri existimatur, *c. Venerabilem 34. V. Fuit quoque, de Elect. Et c. Præterea 10. de Transact.*

Sed huic rationi & pro ea allegatis Juris textibus prævalet clara decisio Innocentii III. *c. Cum venerabilis 6. negantis, eum, qui excipiendô asserit, Ecclesiam ex permutatione cum Episcopo factâ se obtineri, hac sua exceptione Episcopum ejus dominum antè fuisse, confiteri: & l. Non utique 9. ff. hic, iisque consonæ Regulæ, Exceptionem obijciens non videtur de intentione adversariis confiteri, quæ est 63. in 6.* Ratio duplex est. Una; quòd actus agentium non operentur ultra intentionem eorum, *l. Non omnis 19. ff. de Reb. credit.* exceptionem autem actori obijciens reus plus non intendat, quàm excludere ab eo propositam actionem, *l. Exceptio 2. ff. Et pr. Instit. hic;* ac proinde illa haberi non possit pro confessione intentionis ipsius actoris; quia ita ultra excipientis intentionem progrediretur; reus enim excipiens actoris intentionem non firmare, sed elidere intendit. Altera & melior ratio est; quòd exceptio opposita censetur sub conditione, si actor intentionem suam, v.g. mutuum datum, dominium, permutationem antecedentem probârit; cum enim utroque Jure recepta Regula sit; quòd, actore non probante, reus, etiam nihil præstiterit, sit absolvendus, *c. fin. §. Sanè, de Jurejurando, l. Actor 23. C. de Probat. Et c. reus opponens exceptionem id facere cen-*

seatur ea conditione; ut, actore non probante suam intentionem, nec ipse probare teneatur, & hæc ipsi non oblit.

Sicut reus excipiendô actoris intentionem, sic illius exceptionem replicandô elidens actor non confitetur; cum, sicut exceptio ad actoris intentionem & actionem, ita se istius replicatio ad exceptionem & triplicatio etiam ad replicationem habeat, *arg. l. Exceptio 2. §. 1. Et ff. hic, Glossa Unica in Reg. Exceptionum cit. Jordanus Vol. 3. Lucubrat. Lib. 14. tit. 23. n. 107. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 46.*

Ratio dubitandi verissima est: sed in exceptione intentionis confessionem includi, non evincit; cum necessaria consequentiæ non sit, solvi: ergo debitor sui, rem possideo ex permutatione: ergo in dominio permutantis fuit; quia solvi potuit indebitum, & permutatio de facto tantùm intervenisse, ut in *c. Cum Venerabilis cit.* notat Glossa V. Confusum, Panormit. n. 26. & alii magnò numero relati à Paciano de Probat. Lib. 1. cap. 23. num. 15.

Neque urgent, *c. Venerabilem Et. Præterea cit.* relata exempla; quia posteriori hoc textu Fratres, qui vi transactionis, ab Episcopi jurisdictione se exemptos, exceperunt, ei antè subiectos se fuisse, disertè confessos, ex textu constat. Priori autem, censuræ antè contractæ confessio inferitur ex absolutionis petitione; quòd hanc ab eo solùm, qui se ligatum credit, peti præsumatur, *arg. c. Per tuas 40. V. Quod si, de Sent. Excom. non ex absolutionis exceptione; hanc enim actori excipiendô obijciens, præcedentem excommunicationem ad fundandam actoris intentionem confiteri non censetur, ut cum Covarruvia in c. Alma. p. 1. §. 12. m. V. Secundò, notat Gonzalez in c. Cum Venerabilis cit. n. 12. in fine.*

Non de-

35. Non defunt tamen à Regulari hac doctrina exceptiones & calus, quibus excipiens pro confesso habetur: veluti, si exceptioni vg. solutionis confessionem debiti præmittat, juxta *c. Præterea cit.* si adversus confitentem militet præsumptio, vg. contra accusatum de homicidio, si excipiat, *Me defendendò occidi*; talem enim, si defensionem non probet, pro confesso & homicidii reo haberi, cum Felino in *c. Cum Venerabilis cit. n. 15.* tradit Pacianus *cap. cit. n. 29.* & plures alii apud illum & hunc *cap. 23. n. 1.* cum Glossa *cit.* salubriter monentem, in praxi ad evitandos laqueos utendum exceptione conditionatâ, vg. si mutasti, solvi, vel patris es de non petendo; cum, reò sic excipiente, intentionem suam probandi onus actori indubitatè incumbat.
36. Alter exceptionis effectus est; quòd in judicio allegata & probata excludat id, quod in intentionem condemnationemve est deductum, *l. Exceptio 2. pr. ff. hic*: quem suò modò etiam dilatoria exceptio producit; etsi enim, istâ probatâ, reus non, ut probatâ peremptoriâ, definitivè ab instituta actione: interlocutoriè tamen absolvitur à judicii observatione; ut id, quod in intentionem deductum est, ad tempus saltem excludat.
37. Dubium est, an exceptiones reo competentes ejus hæredibus & fidejussoribus prosint. Eas his quoque prodesse, voluere Dioclet. & Maxim. *l. 7. C. hic* quâ relatum Imperiale rescriptum est, *Defensiones sive exceptiones, quibus reus principalis, integro statu manente, munitus est, ad intercessores, multò magis ad hæredes, extendi, constat.* Id ipsum suadet ratio, partim; quòd omnino incivile sit, eum, qui pro alio, donec liberetur, se obligat, istò exceptionis ope liberatò, indamno versari, & compelli ad solutionem: partim verò; quòd, si exceptiones reo, sive

debitori principali, adversus actorem, sive creditorem competentes, & de jussoribus pro illo intercedentibus non accommodentur, exceptionibus suis ipso etiam debitori principali prospectum non sit; cum, à fidejussoribus præstitâ pro ipsis solutione, obnoxius sit actioni mandati, quâ à fidejussoribus conventus reddere ipsis cogatur, quod pro ipso est solutum.

Sed *l. 7. cit.* hac ratione roboratâ dispositio perpetua non est; cum exceptiones, quibus defenduntur rei, fidejussoribus non semper proficuas esse, satis perspicuè indicetur *§. fin. Instit. de Repliat.* ubi eæ fidejussoribus accommodari dicuntur *Plerumque: non Semper.* Quare communis DD. interpretatio; ne *§. cit.* dictio *Plerumque* cum textu *l. 7. cit.* pugnet, hæc relatò Imp. rescriptò fidejussoribus accommodari, ait, quascunque exceptiones reales, & reorum sive debitorum principalium personis, ratione læsionis, in re factæ, competentes; ut sunt Rei judicatæ, factæ solutionis, pacti conventi de non petendo, jurisjurandi, metus, S. C. Velleiani & Macedoniani & similes exceptiones; cum propter rationem allatam: tum, quòd hujusmodi exceptiones videantur minuere & quasi auferre ipsum debitum principale, sine quo fidejussio tanquam accessoria consistere non potest, *l. Fidejussor 16. pr. ff. de Fidejuss. & l. Cum principalis 178. ff. de R. J.* Exceptiones autem merè personales, ut sunt, quæ patri, patrono, marito, donatori, Socio, ultra quàm facere possunt, conventis competunt, fidejussoribus & ipsis etiam hæredibus prodesse negat; quòd tales exceptiones specialiter concessæ sint intuitu pietatis, reverentiæ, indigentia: quæ cum illorum, non etiam hæredum & fidejussorum, personas concernant, his non competent merè personales illorum exceptiones; ne privilegi-

M m 3 um me.

um merè personale personam ejus, cui concessum est, egrediatur, contra Regulam l. 1. §. 2. ff. de Constit. Princip. quæ inter exceptiones reales ac personales distinctio prodita est §. fin. cit. & l. Exceptiones 7. pr. & §. 1. ff. hic, Zanger p. 3. de Except. cap. 26. n. 216. Zælius in ff. hic n. 20. Perez in C. hic n. 23. & 24. Bruneman. in l. Defensiones cit. à n. 1. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. Traët. 3. n. 334.

Neque personales exceptiones, si fidejussoribus non accommodentur, reo sive debitori principali, vg. patri, marito, donatori inutiles evadent; quòd pecuniam pro ipsis solutam repetere queant fidejussores: aut, si nequeant, in damno ipsi versentur; quia fidejussores super rei, sive debitoris principalis, personali exce-

ptione muniti, debitò conventi petere possunt; ut iudicium transferatur in principalem; vel huic denuntiari; ut veniens ex propria persona susceptò iudicio exceptionem opponat, & fidejussorem non condemnari, suà interesse ostendat. J. Idem. que 10. §. 12. ff. Mandati. Quod si fiat, neque fidejussores in damno versantur, neque reo sive debitori principali iure competens exceptio inutilis evadit, cit. Zælius n. 23. & Perez n. 25. Unde reatus, exceptiones personales fidejussoribus accommodari negantes, ita exaudiendi sunt; ut illis hi ex propria sua persona uti non possint: non; ut ipsi etiam non profint, quando à principalibus, translatò in se iudicìo, opponuntur, cit. Zælius n. 23. & Perez n. 25.



TITVLVS XXVI.

De Præscriptionibus.

Premptoria Exceptionis species est Præscriptio, quâ bonæ fidei possessor pristinum Dominum, rem quasi suam repetentem, repellit, ei opponendò possessionem, tempore & modò Legibus definitò, continuatam.

ARTICVLVS I.

De Præscriptionis Natura & Honestate.

SUMMARIUM.

1. Definitio Præscriptionis:
2. Qua confundi solet cum Usucapione:
3. Propriè tamen accepta ab ista differt.

4. Est modus dominij acquirendi,
5. Etiam in foro Conscientiæ.
6. Eâ dominium auctoritate publicâ transferatur;
7. Ut certa sint rerum dominia,
8. Diminuantur lites,
9. Et res suas conservandi industria accuat.
10. Stricta tamen est interpretatio.
11. Rem præscriptam pristino domino scienter reddens eam revocari nequit.
12. Potest, qui, eam præscriptam, falsè,
13. Aut Juris, errore ignoravit.
14. Præscriptionis renuntiare posse, negantur,
15. Et affirmantium verior Opinio. Et c.